



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia**

Ab anno MCCCXVI. ad annum MCCCCXXIII.

**Parisiis, 1644**

X. Qualiter adulteri & concubinarii publici sint admonendi, & ab ingressu ecclesiae excludendi.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15653**

VIII.

*Quod non sunt tolerandi pro aliquo quæstu publice delinquentes,  
& quod potestate absoluendi in casibus reseruatis  
sacerdotes abuti non debent.*

Districte quoque prohibemus, ne quis sacerdotum adulteros, concubinarios, seu fornicarios, aut alios quocumque publice delinquentes, gratia vel fauore, aut pro aliquo temporali emittat. Nec obtentam a superiori in casibus reseruatis ad certum personarum numerum licentiam, eam venalem exponant, non nisi ad soluendum aliquid ex pacto, eadem licentia vtendo; sed gratis & libere, prout expediens fuerit, ad omnes, sine personarum acceptione, huiusmodi sibi concessa vtantur potestate.

IX.

*Quod pro sepeliendis præuentis nil est extorquendum.*

Pro sepultura quoque præuentorum presbyteri nil extorquere præsumant.

X.

*Qualiter adulteri & concubinarii publici sint admonendi,  
& ab ingressu ecclesiæ excludendi.*

Ad extirpandum quoque adulterii & concubinatus publica crimina, quæ in dioecesi Saltzburgensi plurimum sunt frequentata, hunc volumus & præcipimus ordinem per singulas Saltzburgensis dioecesis parochias obseruari, videlicet, ut infra duorum mensium spatium in qualibet ecclesia parochiali aliquo die Dominico vel festiuo, quando maior adfuerit populi multitudo, publice in ambone admoneantur & requirantur in generali omnes & singuli utriusque sexus homines prefatis criminibus publice implicati, quatenus ab huiusmodi adulterio & concubinatu penitus & omnino desistant. Si qui vero generali spreta admonitione se non correxerint, sequenti Dominica in specie & nominatim, ut se emendent, . . . . . sic illi, quorum domus inhabitant, quatenus eos ultra non hospitent, admoneantur & requirantur. Quod si nec taliter moniti se correxerint, sequenti Dominica eosdem, ac illos qui eos hospitare præsumperint,

ab ingressu ecclesiae publice excludant, coram quibus ex-post presbyteri nullatenus diuina celebrare præsumant. Idem quoque de coniugibus utriusque sexus, qui temere sibi mutuo cohabitare recusant & nolunt, & de hospitantibus eosdem, etiam si non sit notorium eos alibi adulterari, volumus per omnia obseruari.

Hunc quoque ordinem perpetuis temporibus in posterum præcipimus obseruari: ita quod generalis ista monitio in Dominica prima quadragesima publice propinatur, speciali continenter admonitione & exclusione sequentibus duabus Dominicis, prout supra dispositum, continuatis.

## X I.

*Qualiter se debeant habere plebani ad eos, quos ad auctoritatem superiorum remittunt.*

Quotiens vero ad superioris auctoritatem aliquos remitti contigerit, plebanus eosdem reuersos, nisi literas testimoniales superioris ostenderint, pro absolutis nequam teneant, nec sacramenta eis ecclesiastica, nisi poenitentia, aut saltem poenitentia parte peracta, administrent: quod præsertim circa adulteros & alios criminosos notorios volumus exactissime obseruari. Et ut fraudibus via præcludatur, huiusmodi notorios & manifestos criminosos ad auctoritatem superioris literis suis clausis, causæ & facti narrationem plene continentibus, transmittant: eosdemque reuersos, non ad simplices remissionis schedulas, sed ad literas superioris intentionem continentes\*, ad ecclesiastica remittant sacramenta.

\* forte de-  
ejt respici-  
endis.

## X II.

*Quod matrimonia clandestine non sint contrahenda: & quod secus aut contrarium facientes ad episcopalem auctoritatem sint remittendi.*

Et quoniam ex clandestinis matrimoniorum contractibus plurima saepe insurgunt pericula animarum, quibus occurtere cupientes, quod super hoc a iure prouide statutum extitit, præcipimus obseruari: ut videlicet, cum matrimonia fuerint contrahenda, prius per presbyteros publice in ecclesia proponantur, bono competenti termino præ-